

# ITALIA.

**I**TALIA Prouinciarum Orbis primaria, vti nomen pro temporum, rerumque mutatione saepius mutauerit; nam & Oenotria, Ausonia, Hesperia, Saturnia, &c. dicta fuit: sic etiam eius termini & fines variè ab Auctoribus describuntur: posterioribus tamen saeculis hi statuti; Flumen Varus, inde linea per Alpes Coctias, montem Adulm, Alpes Reticas, adiunctaque iuga porrò ad amnem Arsiam, Histria terminum. Hoc vnum latus, cetera maria alluunt. Ptolemæus eam peninsulam describit, quam maria tribus lateribus circumfundunt, vno vallunt Alpes. Priscis scriptoribus assimilatur querno folio; Recentiores eam integri cruris humani non inconuenienter à coxendice ad imum vsque pedem effigie pingunt. Habet Italia dorsum, & seu in piscibus esse videmus à capite in infimam partem, spinæ formam, Apenninum: qui mons ex Alpibus, quæ ab Infero mari recedunt oriundus, cum recto propemodum cursu Anconæ Vrbi appropinquare, in mare Superum ferri, & ibi finiri videtur: tum inde rursus ab eo mari recedens, per mediam Italiam in Brutios, ac Siculum fertur. Olim in hac Regione. M. C. LXVI. Vrbes extitisse Ælianus Auctor est. Guido Presbiter Rauennas, ex Igino, qui ante sexcentos Annos de Urbibus Italia scripsit, septingentes duntaxat fuisse eius temporibus scripsit. Hanc Italiam Blondus in octodecim Regiones diuidit; Leander, nouemdecim. Suntque nomina

## Antiqua.

LIGVRIA  
HETVRRIA  
VMBRIA  
LATIVM  
CAMPANIA FELIX  
LVCANIA  
BRVTII  
MAGNA GRAECIA  
SALENTINI  
APVLIA PEVCETIA  
APVLIA DAVNIA  
SAMNITES  
PICOENVM  
FLAMINIA  
AEMILIA (DANA  
GALLIA TRANSPA-  
VENETI  
FORVM IVLII  
HISTRIA

## Recentia

Riuiera di Genua.  
Toscana.  
Ducato di Spoleto.  
Campagna di Roma.  
Terra di Lauoro.  
Basilicata.  
Calabria inferiore.  
Calabria superiore.  
Terra d'Otranto.  
Terra di Barri.  
Puglia Piana.  
Abruzzo.  
Marca Anconitana  
Romagna.  
Lombardia di qua dal Po.  
Lombardia di la dal Po.  
Marca Treuigiana.  
Friuli, & Patria.  
Istria.

Vmbilicum totius Italiae in agro Reatino, Velinum lacum constituit Plinius; ex Varro-  
nis sententia. huic lacui vicinus est Ager Rosellanus; (Rosæa rura Velini, Virgilio) to-  
tius Italiae fertilissimus; qui tantæ fertilitatis erat (teste Varrone) vt pertica in eo relicta  
postridie non appareret propter herbam; ob idque Italiae fumen dictus. Olim dixere  
Campum Stellatam, totius Italiae solum amœnissimum: nunc verò, loca circa Bono-  
niam & Mutinam, Blondo Auctore. Sabellicus Italici nominis Principibus Urbibus,  
ex vulgi prædicatione, hæc epitheta ascribit; Dites Venetiæ, Mediolanum ingens, su-  
perba Genua, pulchra Florentia, Bononia ferax, Rauenna vetus, Roma sancta, &  
Neapolis nobilis. Descripserunt hanc Regionem ex veteribus C. Sempronius; M.  
Cato; Polybius lib. 2.; & diligentissimè, vt cetera, Strabo. Ex Recentioribus Blondus;  
Ioannes Annius Viterbiensis in Cōmentariis in Berosum, & ceteros; Volaterranus;  
Sabellicus; Dom. Niger; sed absolutissimè Leander.





ITALIAE NOVISSIMA  
DESCRIPTIO AVCTORE  
IACOBO CASTALDO  
PEDEMONTANO

SEPTENTRIO.

MARE ADRIATICVM SIVE SVPERVM, nunc

MARE LIGVSTICVM

GOLFO DI VINETIA

MARE TYRRHENVM, SIVE INFERVM.

OCCIDENS.

ORIENTS.

Maris

Mediterranei

MERIDIES

pars

Scala: 10 20 30 40 50 60 70 80 90 100



